

uari coram Deo proprijs viribus, meritis aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte, pro nostris peccatis satis fecit. Hanc fidem imputat Deus pro iusticia coram ipso, Roma, iij. & .iiij.

V.

Vt hanc fidem consequamur institutum est ministerium docendi Euangelij & porrigendi sacramenta. Nam per verbum & sacramenta, tanq̃ per instrumenta donatur spiritus sanctus, qui fidem efficit, vbi & quando visum est Deo in ijs q̃ audiunt Euangelium, scilicet quod Deus non propter nostra merita, sed propter Christum iustificet, hos qui credunt, se propter Christum in gratiam recipi.

Damnant Anabaptistas & alios, qui sentiunt spiritum sanctum contingere sine verbo externo hominibus per ipsorum preparationes & opera.

VI.

Item docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera, mandata a Deo facere, propter voluntatem Dei, non vt confidamus per ea opera iustificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum & iustificatio fide apprehenditur, sicut testatur & vox Christi, Cum feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus. Idem docent & veteres Scriptores Ecclesiastici, Ambrosius enim inquit, Hoc constitutum est a Deo, vt qui cre

B ij

dit in